

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio VI

PRÆSIDE

CHRITIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

ZACHARIA EBERHARDO SEYFFART

Hallensi Saxone

in Festo

CONVERSIONIS PAULI.

A. O. R. cl. l. c. II.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegel.

DIVITIA RUM
EVANGELIUM
FESTIVALLUM


CHRISTIANO GUBINZIO

ZACHARIAE FERREARDO DE
HALLIS

CONFERENTIAE P. AULI

HALLIS SAXONIAE
FRIEDRICHSTADT





ANALYSIS
EVANGELII

IN FESTO
CONVERSIONIS
PAULI.

Matth. 19. à v. 27. usq. ad finem.

ANTELOGIUM.



*M*osen secutus est ex Aegy-
pto Israel gravis farina &
spoliis, per mare ductus sub nu-
be in columna ignis Exod. cap.
12. vers. 39. & cap. 13. vers. 22. ita Jesum
ad terram promissam, relictis prius omnibus
etiam secuti sunt Apostoli. Quo fructu docetur
in Evangelio.

K

1010

THESIS I.

1. In quo partim habetur Petri interrogatio v. 27. ubi tum est temporis circumstantia : Tunc. *Nempe dum Christus cum Adolescente divite de vita aeterna per legis impletionem consecutione disceptasset, & de divitum in regnum caelorum ingrediendi difficultate predicasset, uti habetur vers. 21. & 23. Ut discamus circumstantias in explicatione textus observare vel maxime.*

2. Et materia, quoad subjectum limitatum : respondens Petrus. *Nomine scil. reliquorum. Unde & hic textus in hoc festo proponitur, cum ipse esset primus vocatorum Matth. 4, 18. & ultimus Paulus 1. Cor. 4, 9. Paulus tamen factus est primus, fervore & diligentia Spiritus 1. Cor. 5, 10. & 2. Cor. 11, 23. Petrus vero, ut qui indecentius sese gessit, prostremus quasi, quippe Christum abnegarat. Alias Petrus os Apostolorum fuit, uti habet Chrysoft: hom. 55. in Matth. vel quia ardore Christi primum & praecipue ferbuit ad faciendum & ad respondendum paratissimus, uti habet*

habet Cyrillus lib. 12. c. 64. in Johannem
vel ob fiduciam & libertatem, uti Chryso-
 cap. 2. ad Galatas; *vel deniq;* propter ordinem
 & etatem, uti loquitur Cassianus lib. 3. de
 incarnatione Domini, qui primum sedendū
 locum habebat, secundum Chryso. Homil.
 3. in acta Apostolorum. Non quasi esset Mo-
 narcha inter reliquos, siquidem & Thomas no-
 mine aliorū dixit: nescimus quo abeas, Joh. 14.
 5. & Philippus, ibid. 8. sed quemadmodū os lo-
 quitur pro toto corpore, sic Petrus lingua erat
 Apostolorum, & propterea pro omnibus re-
 spondit. Quin etiam Ignatius omnes ministros
 Dei, vocat os Christi ad Ecclesiam Ephesianam
 scribens.

3. Quoad prædicatum, summam
 dixit ei. Nimirum Christo sen concludit;
 post dissertationem de bonorum relictione, ex-
 cipiendo quasi & fiducialiter, uti habet Ori-
 genes in tractatu 9. in Matth. super hæc ver-
 ba, querit. Ut discamus investigare ea, quæ
 non intelligimus.

4. Explicatim præmittitur: Ecce.
 Particula est attentionis, quasi diceret, jubes, ut
 relinquat omnia juvenis. Ecce concludit.

K 2

5. Ex-

5. Exponitur factum contrarium per distributionem subjectarum specierum in relinquendo: nos reliquimus omnia. *Qua habuimus, patrimonia, parentes, retia, opificia, ades* Matth. 4, 20. & 9, 9. Non quidem proprietati in solidum ac in perpetuum renunciando, sed quotidiano ac ordinario illorum usui, pro temporis illius ac vocationis specialis ratione sese abdicando: siquidem Petrus reliquit domum Marc. 1, 29. naviculam Luc. 5, 3. abiit cum reliquis post Christi mortem piscatum Ioh. 12, 23. Neque exinde colligi potest vel mendicitas, dum non mendicarunt, sed quocumque venerunt, necessaria acceperunt Matt. 10, 10. ubi vero non acceperunt, neque predicarunt. In prima enim legatione, qua temporalis fuit, hoc beneficium habuerunt, uti colligitur ex Luc. 22, 36. Atque ita tantum quoad tempus & usum, non quoad totalem & omnimodam abdicacionem. Quin & mendicitatem iubemur fugere Psalm. 37, 25. & 109, 10. etiam validos mendicantes improbat Scriptura Deut. 15, 4. Vnde licet vixerint, & debuerint etiam vivere ex oblatiis praeiis, si tamen necessitas postulabat, potius ibant piscatum, quam mendicatum, Ioh. 21, 3. satius enim est penuriam pati quam mendicare Phil. 4, 12.

6. Et

6. Et in sequendo: & secuti sumus
 re. Quocunq; terrarum locorum tantum a-
 biisti, sponte & prompte secuti sumus. Ita ho-
 mines ea, qua propter Evangelicam persecuti-
 onem amittunt, ut plurimum magni estimant.
 At quid enim reliquit Petrus? tuguriolum,
 naviculam, qua tamen nihili, quia facultates,
 asseverante Innocentio, de vilitate humanae
 conditionis Part. I. c. 16. laborem parant in
 acquirendo, timorem in possidendo, do-
 lorem in amittendo. Et quamvis quis
 habeat uti loquitur Basilus concione ad
 divitem, terra arabilis jugera tot, terrae
 arboribus consita tot alia, montes, campos, sal-
 tus, fluvios, rivose & venas aquarum. Quid igitur
 postea? Nonne tres in universum cubiti te
 expectant, nonne paucorum lapidum onus ad in-
 felicis corporis sufficiet locum? certe omnia hu-
 jus mundi sunt vanitatum vanitas Eccles. 1, 2.
 Christum vero sequi, sive sibi Apostolicum, sive
 Christianum, hoc magnum est, quia hoc est
 sequi vestigia eius, 1. Pet. 2, 21. nam Christia-
 nus nemo recte dicitur, uti habet Cyprianus,
 nisi qui Christum moribus, prout valet, coe-
 quatur. Et Augustinus de duodecim abusi-
 bus cap. 7. Christiani nomen ille frustra
 sortitur, qui Christum minime imitatur. Se-

quere ergo, monet idem Augustinus, de
virginitate si non quocunq³ ierit, saltem quo-
cunq³ potes.

7. Et scopum sive eventum: quid
ergo erit nobis? Sive quid ergo nobis dabis
premi? uti habet Hieronymus d. 29. in
Matth. quasi ita colligeret, si adolescens ille
dives ob inobedientiam, quod bona sua relin-
quere noluerit, & sequi Christum detrectave-
rit, cœlesti premio privatus; consequens utiq²
fuerit, Apostolos, ob obedientiam præstitam,
hac in parte cœlesti premio iure afficiendos.
Atq² ita videtur quasi divinam renumeratio-
nem in dubium vocaret. Alias pietas habet
promissionem huius & alterius vite 1. Tim. 4. 8.
quam, licet differat, non aufert, quia servat,
inquit Augustinus sermone 5. de verbis Do-
mini. tibi Deus, quod non vult cito dare,
ut tu discas magna magis desiderare.

8. Partim est Christi informatio,
per declarationem quoad Apostolos do-
ctores specialiter. v. 28. in quo præfatio
hoc est, causa efficiens cum objecto: At
Iesus dixit eis. Quippe cum allocutus eum
erat Petrus nomine omnium: ideoq² non solum
ei

ei, verum etiam omnibus respondet. Ut ex-
 inde nulla prerogativa Petro competere possit.
 Unde & Petrus, licet ordinis causa Apostolis
 aliis praeret, in rebus tamen gravioris momen-
 ti, nihil absq; eorum consensu tentavit, vel
 tentare ausus fuit, Act. 1, 15. & 2, 2. & 5. Siqui-
 dem & hoc erant ceteri Apostoli, quod fuit
 Petrus, uti loquitur Cyprianus tract. 3, de
 simpl. praelat. pari consortio praediti & hono-
 ris & potestatis. Vti vel hic manifesto ap-
 paret, dum omnibus has prerogativas Christus
 pollicetur.

9. Et asseverandi forma: Amen,
 Amen dico vobis. In severioribus enim
 asseverationibus usitata Christo fuit hac for-
 mula, in maiorem rei assertae cretitudi-
 nem. Amen enim idem est quod ita. Un-
 de non tantum septuaginta interpretes red-
 diderunt, per *γέγρατο*, fiat, sed & signa-
 culum veritatis veteribus dicitur; Ut disca-
 mus non esse illicitum uti usitatis formulis, in
 rebus confirmandis.

10. Et narratio, quoad subjectum:
 quod vos secuti me. Per quos intelligit
 Apostolos, in quibus licet bona deseruerint,

uti iactitaverat Petrus, tamen illud non repe-
 tit, neq; respicit ad regnum Dei, nisi accedat se-
 quela Christi, quam intelligit hoc loco & corpo-
 ralem, dū Apostoli ipsum secuti sunt, tanquam
 comites; & spirituale, dum viam, qua Christus
 sequerentur sunt ingressi. Et quamvis meritis
 fuisset Petrus, & reliqui Apostoli, non levem
 correctionem iactantia, de desertione bonorum,
 tamen humaniter Christus respondet; cum non
 ex malitia, sed ex inscitia peccare eos noverat.
 Ut discamus aq; ex infirmitate lapsos, a quani-
 miter tolerare, imò reducere Gal. 6, 1. infirmos
 in fide suscipere. Rom. 4, 1. & pusillanimes cor-
 rigere 1. Thess. 5, 14. Omnia cum spiritu man-
 suetudinis 2. Tim, 4, 2, ut sani fiant Titum
 1, 13. Inde Cyprianus inquit lib. 1. Ep. 3. ad
 Cornelium. Patientia & facultas & huma-
 nitas nostra venientibus preste est: opto omnes
 in Ecclesiā regredi, opto universos commilito-
 nes nostros in Dei castra & Patris domicilia cō-
 cludi. Lenitatem verò qui neglexerit hanc,
 habet idem Cyprianus l. 4. ad Antonianum:
 adscribetur eis in die iudicii, qui nec ovē sauci-
 am curant, & propter unam sauciam, multas
 integras perdiderunt, cū Dominis relictis sanis
 unam errantem & lapsam quasi verit. Nemi-
 nem enim Deus spernit, neminem abjicit, ne-
 minem

minō perhorrescit, nisi forte quis amens ipsum
 exhoruerit, ait Augustinus lib. medit. cap.
 2. Interim quod induruit & diutius inhaesit,
 difficulter tollitur, ut qui blando sermone ca-
 stigatus non corrigitur, acrius necesse sit, ut ar-
 guatur, Ubi monet Isidorus lib. 3, c. 46. de
 summo bono. Instandum opportunè, &
 importune 1. Tim. 4, 2. Contradicentes ar-
 guendi & convinendi Titum 1, 9. peccantes
 coram omnibus arguendi 1. Tim. 5, 20. Ex-
 emplo Elie 1. Reg. 18, n. 18. Michæ 1. Reg.
 22, 14. Ieremie 1. Reg. 27, 9. Baptiste Ma-
 lach. 3, 7. iterum monet Augustinus serm.
 18. de verbis Domini: ut non nobis, sed Deo
 seruiamus. Foris terribiliter personet incre-
 patio: Intus lenitatis teneatur dilectio. Neq̄
 consentientes sitis malis, ut approbetis, neq̄ ne-
 gligentes, ut non arguatis; neq̄ superbientes ut
 insultanter arguatis.

II. Quoad effectum, ubi tempus, in
 genere: in regeneratione. Non spiritali,
 sed instauratione rerum omnium, quando
 mortui ex corruptione resurgent incorrupti,
 uti loquitur Hieronymus c. 19. in Matth.
 ibi caro nostra regenerabitur per incorrupti-
 onem, quemadmodum & anima nostra rege-

neratur per fidem, ait Augustinus lib. 20. de civitate Dei cap. 5. mundus enim totus regenerabitur, 2. Petr. 3, 23. Apoc. 21, 1. Vocatur verò regeneratio illa dies, eo quod in resurrectione regeneratio nostra in baptismo inchoata, plena perficietur, ut etiam corpora nostra immortalitatem induant, ad Philipp. ult. v. ult. Vt discamus magnum esse Dei auxilium, quod expectandum, si Christum sequimur.

12. Et in specie: & cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae. Quod non nisi de iudicio extremo accipi potest. Est autem thronus gloriae, thronus majestatis Heb. 8, 1. super quem Christus collocatus Heb. 1, 3. super omnem potestatem Eph. 1, 20. Et quamvis à primo ascensionis momento sederit in thronum gloriae suae quoad humanitatem, tamè in novissimo die visibiliter se manifestabit, quod sedeat 2. Thess. 1, 7. dum pater filio omne iudicium dabit Ioh. 5, 22. est enim iudex omnium Hebr. 12, 23. Neq; tamen est locus materialis, quo pacto enim qui incircumscribitur est localem dextram habeat, ait Damasc. lib. 4. orthodoxae fidei c. 1. sed est thronus dignitatis, habet Basilius lib. 1. contra

contra Eunomiam, gloria & claritatis, ait Hilarius lib. 3. de Trinitat. *Plenitudo maiestatis*, ut ait Primasius in cap. 1. ad Hebr. *eminentia supra omnem principatum & creaturam*, ait Bernhard. sermone 73. super canticum. *Non secundum divinam naturam, quia Deitas nil opus habet ut gloriam assumat, quia ipsa est gloria & perfectio*, ut ait Epiphani. lib. 2. contra Arian. haeresin. 69. *Nullius eget*, ut ait Theodor. cap. 2. ad Philip. *sed secundum carnem exaltatus est*, ut habet Vigilus lib. 5. contra Eutich.

13. Modus, tum respectu loci: *sedebitis & vos super thronos duodecim. Non quidem in Christi throno: nulli enim angelorum hoc datum est Hebr. 1. 5. nedum Apostolis, sed in excellenti honore & ineffabili gloria*, uti habet Chrysostom. hom. 65. in Matth. *in praecellentia*, uti loquitur Euthymius, *qua gloria omnibus erit communis, quia totidem erant Apostoli. Ut discamus equalitatem dignitatis in altero seculo illorum.*

14. Respectu officii: *judicantes duodecim*

duodecim tribus Israel. Per iudicium comprobationis non tantum, sed etiam attestationis tanquam assessores, quae magna est gloria & prerogativa Apostolorum. Duodecim autem tribus dicuntur iudicaturi, quia in iisdem erant educati & legibus & consuetudinibus, uti habet Chrysostomus homil. 65. in Matth. Intelligitur verò universa multitudo iudicantium & iudicatorum, uti ait Augustinus l. 20. de capt. Dei cap. 5. Alias si praecise tantum duodecim throni & tribus intelliguntur, Paulus non esset iudicaturus, quod tamen asserit 1. Cor. 6, 3, & 4.

15. Quoad alios confessores generaliter v. 29. in quo subjectum, respectu objecti universalis: & omnis, qui reliquerit domos. Hoc est possessiones. Non una ergo intelligitur tantum, sed quascunq; quis habuerit, dum enim antea dixerat Petrus, relinquimus omnia, has etiam intendit Christus esse relinquendas.

16. Respectu particularis, quoad personas, & vel collaterales: aut fratres aut sorores. Ita licet etiam chari sint multisq; aliis preferendi.

17. Et

17. Et quoad rectilineas, superiores
inæquales: aut patrem aut matrem. *Quos
alias etiam, quando matrimonium inimus, re-
linquere cogimur.*

18. Et æquales: aut uxorem. *Non
quasi deserenda sit uxor. Non enim, habet
Chrysoftomus, simpliciter precipit matrimo-
nium esse deserendum, sed ut religionis pieta-
tem cæteris omnibus anteferamus, innuit
homil. 65, in Matth. esset enim contrarium
legi late Matth, 19, 6, Quin Apostoli uxo-
res suas circumduxerunt 1. Cor. 9, 5. siquidem
est hic singularis numerus quoad subiectum &
vocem ἀδελφῆν addit religionis & fidei causa,
ut intelligatur Christiana non gentilis. Neq;
articulus neglectus aliquid diversi innuit,
cum etiam apud Matth. omissus, & apud
Lucam 18, 29. Sic propheta omnes, teste Chry-
soft Hom. 56. in Matth. uxores habuerunt;
etiam Apostoli, præter Johannem, uti habet
Ignatius & Epiphanius ad Philadelph.*

19. Descendentes: aut natos.
*Hoc est filios, qui æquè non planè deserendi,
nisi velimus deteriores esse infidelibus 1.
Tim. 5, 8.*

20. Et

20. Et quoad possessiones: aut a-
gros. *Hoc est bona. Monemur alioqui ne
cor facultatibus apponamus Psalm, 62. v. 20.
Matth, 6. v. 24.*

21. Prædicatum conjunctim respe-
ctu scopi: propter nomen meum. *Ideoq;
fieri non debet propter hypocrisin, sed propter
confessionem nominis Christi, ut possidentes
sint, tanquam non possideant 1. Cor. 72, 9.
Et si necessitas urgeat, ut direptionem omni-
um cum gaudio patiamur Hebr. 10, 21. Ne
contristemur de illis rebus, quas citò nos relin-
quere oportet, habet Augustinus lib. 1. cap.
10. de Civ. Dei.*

22. Respectu præmii distinctim: in
hoc seculo: centuplum accipiet. *Vbi synech-
doche speciei sumitur pro multipliciter, uti Lu-
cas exponit, quib9 nihil aliud quàm copia bo-
norum denotatur, vel 1. pro corporalibus,
spiritualia compensando; vel 2. corpora-
lia corporalibus renumerando; vel deniq;
sufficienciam ipsi conferendo. Annon in-
quit Bernhardus centuplum habet omni-
um, qui impletur Spiritu Sancto, qui Chri-
stum habet in pectore, nisi quod longè plus
quam*

quàm centuplum est, *visitatio Paracleti, & presentia Christi.* In declamatione de bonorum disputatione sic: *Annon Abraham postquam paternam domum reliquit, benedictionem Dei in omnibus sensit? Et annon, quod habet Euthymius in hunc locum, pii omnium fidelium sibi domos apertas habent? Fratres etiam & sorores omnes sanctos & sanctas: Patres verò omnes ipsos colentes, ipsorumque curam habentes, ac erga ipsos affectu tactos. Matres quoque omnes parimodo se habentes. Uxores verò omnes ministrantes, subservientes & curantes eos, hæc siquidem sunt uxoris opera. Liberos deniq; omnes discipulos. Sic semper dives est Christiana paupertas, quia plura est quod habet, quàm quod non habet, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in Domino omnium rerum omnia possidere, ait Leo: serm. 4. de quadragesima, ut ita ista intelligantur, de retributione spirituali, corporali & habituali.*

23. In seculo altero: Et vitam æternam hæreditabit. Non quidem ex mercede debita, quasi esset merces desertionis istius:
viii


vita enim aeterna est donum Dei Rom. 6, 23
 Sed ex compensatione gratis promissa, quia
 verbum κληρονομήσαι δικαίᾳ proprie significat
 hereditatis iure possidere, ut quam solum in
 Christum credentes consequantur Joh. 3, 16.
 ex mera gratia Eph. 2, 8. ex mera misericordia:
 Tit. 3, 5. iure filiationis Joh. 1, 12. Rom. 8, 16.
 Non compensationis. Unde Lyra in cap.
 10. habet. Filius cui debetur hereditas, di-
 stinguatur ab operario conductitio, cui debetur
 merces. Neq̄ enim condigne sunt afflictio-
 nes nostra, ad futuram gloriam Rom. 8, 18.
 Et vilesceret redemptio sanguinis Christi,
 ait Ambrosius lib. 1. de voc. Gentium,
 nec misericordiae Dei humanorum operum
 prerogativa succumberet, si justificatio, que
 fit per gratiam, meritis precedentibus debere-
 tur: ut non munus largientis, sed merces esset
 operantis. Et gratia non datur solum, ait
 Fulgentius lib. 1. cap. 10. sed etiam glorificatis
 vita aeterna datur.

24. Per conclusionem v. 30. in
 quo subiectum: Multi autem primi. Hoc
 est quidam; neq̄ enim de omnibus hoc loco
 intelligitur, quia voluit, primum autem vo-
 luit

Init vocationis sua scopum, & de diligentia debita admonere.

25. Prædicatum : primi erunt novissimi. Sic, licet Petrus fuerat primus in vocatione, Matth. 4, 18. tamen propter abnegationem minatur ipsi, ut fiet novissimus. Vult ergò, ne alterum supprimamus, sed modestie studeamus.

26. Et novissimi primi. Quemadmodum Paulus novissimus Apostolorum, 1. Corinth. 4, 9. plus tamen per DEI gratiam laboravit, 1. Corinth. 15, 10. 1. Corinth. 11, 23. Sic prima gentes etiam defecerunt. Veritas ergò & sinceritas religionis, qua ad Europam ultimò accessit, curanda, ut etiam maneat.



N. O. T. Æ.
I.

NOs reliquimus omnia) Considera Apostolos omnia reliquisse, & secutos esse Christum; ut discas non moveri & tardari temporalibus, si Christus vocat.

L Sede-

I I.

SEdebitis super thronum) **C**onsidera *Apostolorum gloriam* ; ut discas *imitari eorum fidem, vitam quod si velis habere eandem.*

III.

Multi primi novissimi) **C**onsidera non esse *currentis & volentis, sed DEI miserentis* ; ut discas *omnia Deo ascribere.*

* * * * *

CASUS I.

An deserere liceat uxorem?

Afirmatur: 1. Quia dicitur quicumque deserit uxorem cum reliquis omnibus, centuplum accipiet in vita æterna, *Matth. 19, 29.* Quin *Luce 14, 26.* qui non oderit uxorem, non potest esse meus discipulus.

2. Jura negant Sacerdotem posse habere uxorem, dum vorum fecit id æquè Deo præstandum quàm uxori, *Augustino in Psalm. 75.*

3. c. sanè *Extravag. de Clericis & c. se-*
riatim dist. 32.

Negatur 1. Quia, quos Deus conjun-
xit, homo separare non debet: & conjugi-
um in omnibus honorabile, *Hebr. 13, 4.*

2. c. 6. *his igitur d. 23. c. deinde 23. c. pla-*
cuit dist. 32. c. legant ead. dist. & in aliis plu-
ribus ostenditur, quòd habuerint Episcopi
uxores & liberos. *Gerhard. de fide cathol.*
lib. 2. par. 2. art. 6. c. 4.

3. Pontifices ipsi habuerunt uxores,
Eus. lib. 2. hist. c. 10. Videantur cæteri apud
laudatum Gerbardum.

Ad contraria: 1. est fall. secund. quid.
nempè in casu necessitatis, in persecutione
propter confessionem, ne à gratia Dei ex-
cidam9, dum præbet impedimentū fidei &
vitæ Christianæ, quemadmodū dixit Chri-
stus qui perdidit animam suam, propter
me inueniet eam, non hoc dicit ut nos in-
terimamus, sed ut præponamus animæ no-
stræ fidem. Ita exponit *Jansenius cap. 100.*
Harm. in c. 19. Matth. Salmero, Barradius.
Ad alterum itidem *Barradius tom. 3. con-*
cord. Evangel. lib. 3. c. 17. de loco Luc. 14. non
de odio positivo, sed de posthabitione pa-

rentum, uxoris & cognatorum, si pietati & obedientiæ D E O debitæ resistant, quod præceptum est generale.

Ad 2. Fall. pet. princ. Contrarium ex contrariis argumentis patet. Sunt enim & suspecta & falsa. Vid. Bald. lib. 4. c. 13. cas. 2.



CASUS II.

An Mendicitas sit probrosa?

Negatur: 1. quia Christus hic inquit, qui non relinquit domum suam, non me dignus, Matth. 19, 29.

2. Quia Matth. 10, 9. Nolite possidere argentum & aurum.

3. Fuit ipse mendicus, Luc. 8, 3.

4. Fura docent eum philosophum qui mercenariam operam spernit, l. 1. §. 1. ff. de extraord. cognitionibus.

5. Quia monachi solent renunciare rerum proprietati c. cum ad monaster. de

de Statu monach. & Clement. Exivi
de paradiso.

Affirmatur: 1. Quia Christus loculos habuit, & in eis pecuniam, Joh. 12, 6. & 13, 29.

*2. Apostoli dominium bonarum re-
timerunt, licet bona pro ratione vocationis
relinquerent, Matth. 9, 10, 17, 27. Joh.
19, 27. 2, 13.*

*3. Apostolus ad liberalitatem ex-
hortatur & ait: satius dare quam accipe-
re, Act. 20, 35.*

*4. Divitiarum benedictio divina, Pro-
verb. 10, 22.*

*5. Quia mendicitas fugienda, Deut.
15, 4. Psalm. 37, 36. Psalm. 109, 10.
Proverb. 30, 8. Inde labor manuum
commendatur Psalm. 128, 2. Ephes.
4, 28.*

*6. Jura mendicitatem improbant,
l. i. C. de mendicant. validis. l. si quis
ad declinandam l. 37. §. ubi autem C.*

de Episc. & Clericis. Videatur Tholos.
lib. 15. c. 28. n. 13, 14.

Ad contraria: 1 Fall. sec. quid: qui
magis scilicet aestimat, & propterea Chri-
stum abnegat.

Ad 2. iterum F. secundum quid, ra-
tione itineris quod tunc ad Judaeos susci-
piebatur, aliàs postmodum ad gentes, ubi
ablegati permisit habere crumenam & pe-
ram, Luc. 22, 36.

Ad 3. Petitio princip. pauper fuit,
sed non mendicus. Distinguendum inter
 $\pi\lambda\omega\chi\omicron\nu$ & $\pi\acute{\epsilon}\delta\eta\tau\alpha$, uti Aristophan. in Plut.
Gerhard. de fide catholica lib. 2.
par. 2. art. 7. c. 4. p. 314.

Ad 4. Fall. caus. Jura quidem do-
cent, sed non probant mendicitatem, imò,
ut patet ex contrariis rationibus, probi-
bent. Deinde loquuntur de Stoicis philo-
sophis, quorum quum nulli amplius, nemo
etiam tam imprudens, qui abjiciat pe-
cuniam.

Ad 5. Fall. cons. Aliud de monachis,
quorum status nondum probatus. Et si-
siqui.

quidem, quod habet Hieronymus ad
 Nepotian. sunt ditiores Monachi quam
 fuerant seculares, & Clerici, ut qui
 possident opes sub Christo paupere, quas
 sub locuplete & fallace Diabolo non ha-
 buerant. Suspirat eos Ecclesia divites,
 quos mundus ante tenuit mendicos. Un-
 de Wilhelmus de S. Amore unà an-
 num 1250. publico scripta hypocriticam
 Monachorum paupertatem reprehendit.
 Sic Gravamina nationis Germanicæ
 in Comitibus Norinbergæ anno 1523.
 Johannes 22. Pontifex Romanus cit-
 ca Annum 1322. contra Mendicantes
 asseruit hosce articulos: Quod Christus
 nunquam præceperit vel consuluerit Chri-
 stianis, ut sua bona desererent; sed ut non
 essent solliciti de suis rebus, aut amarent
 eas: jussisse affectu deserere rem familia-
 rem, & non factò ipso (extra casum verò
 necessitatis & confessionis) quod cum per-
 fectione Christiana non pugnet bonorum
 stabilium & mobilium possessio. Idem as-
 seruit Alphonsus de Castro, lib. 12. ad-
 versò

vers. hæreses verbo paupertas. Guili-
 elmus de S. amore scripsit tractatum
 contra Monachos mendicantes, in quo
 libro hoc persuadere conatus est, pauper-
 tatem videlicet habitualem esse licitam,
 non autem actuaalem, hoc est, licitam esse
 animi promptitudinem ad relinquendum
 omnia pro Christo, cum necessitas urgeret;
 hac tamen necessitate seclusa illicitam
 dicit esse paupertatem, per quam aliquis
 renunciet omnibus, quæ possidet, ut libe-
 riu Deo servire liceat. Videatur Ger-
 hardus loco allegato, Balduinus lib.
 2. c. 8. c. 14. pag. 311. Et Cranzius scribit
 metropol. lib. 7. cap. 42. Hi sunt illi
 pauperes (de Monachis ait) qui dum
 nihil habere se simulant, omnia pos-
 sident. Præterea aut pauperes sunt qui vo-
 vent, & sic stolidè vovent quod jam sunt;
 aut divites, & sic fiunt hypocritæ, quia
 bona sua destinant monasteriis, ut inde
 absque sollicitudine vivant. Benedicti-
 ni amplissimos fundos habent. Franci-
 scani idem, Bald. Gerh. d. l.



O Mnia praetereunt, ceu transi-
tus; atraq; mundi,
Smegmate sint quamvis lota,
perire solent.

Ad Jesum Petrus: omne reliquimq;
ecce! secuti

Te sumus. An nobis proderit?
euge refer.

Cui Jesus: Vos juro sedebitis, atq;
tribunal

Vestrum de tribubus judicis in-
star erit.

Nam quicumque domum linquit,
matremq;, patremq;,

In caelis heres ipse beatus erit.

Multi

*Multi sunt primi, sed erit locus ul-
timus istis;*

*Contra postremis primus erit q̄
locus.*

*Talia Seyffartus reperit. Si pergit,
& atra*

*Transibunt; dabit & candi-
diora Deus.*

quod optat

QUEINZIUS



02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13

DIVITIARUM
 ANGELICARUM
 FESTIVALIUM
Disquisitio VI
 PRÆSIDE
 IANO GUEINZIO
 ymnasii Hallensis
 Rectore
Respondente
 EBERHARDO SEYFFART
 Hallensi Saxone
in Festo
 ERSIONIS PAULI.
 O. R. cl. J. C. II.
 LLIS SAXONUM
Heredum Melchioris
Oelschlegel.